32

Disputatio DE FEBRE QVARTANA PERIODICA:

Ad quam

DIVINO FAVENTE NVMINE, SVB PRÆSIDIO CLARISSIMI VIRI D. GEORGII HAMBERGERI, Artis Medicæ Doctoris, eiusdemque in celebri Tubingensium Academia Professoris eximij, Præceptoris sui omni obseruantia colendi, in Aula noua publicè, VII. Kalend. Iunij horis antemeridianis, pro ingenij sui tenuitate respondere conabitur

THOMAS SCHLAIER, Tubingensis.



TVBINGÆ.
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
M. D. LXXXVII.

29

DISPVTATIO DE FEBRE QVARTANA Periodica.

QVÆSTIO.



VM Alexander Trallianus in curatione Quartanæ Galenum, quem tamen vbiuis locorum diuinißimum appellat, suggillet, atque haud obscurè in præscribenda diæta, & vsu antidotorum redarguat, de Quartana disputationem proponere libuit, ex qua non tam, quæ circa hanc Quartanam consideranda spectandaque sunt, quàm etiam, vtrum merito Galenus à Tralliano reprehendatur, euidens, atque perspicuum futurum est.

Thesis prima.

Quartana autem, seu τεταρταῖος, de quarto in quartum affligit: vel vt Isagoge testatur, duos dies intermittit, deinde reuertitur; quemadmodum continua Quartana, quòd biduo remißior, quarto quoque die exacerbetur, nuncupatur.

2. *Vnde patet iuxta Galeni, & aliorum medicorum sententiam, aliam Quartanam esse continuam, aliam intermittentem: de illa tamen hîc, cum omnium febrium rarißima sit, & si quem inuadit, plærumque iugulet, κατὰ διέξοδον non tractabimus, sed de hac potißimum, quæ frequentior est, & iam per se ortum trahit, iam verò ad alias febres intermittentes, continuas, ardentes, vel erraticas κατὰ μετάπτωσιν consequitur.*

3. *Intermittens porrò Quartana febris, alia exquisita, seu legitima, alia verò non exquisita, sed spuria est.*

4. *Exquisita à solo humore melancholico putrescente oritur, quando is per sentientia corpora delatus extra venas putrescit, & de quarto in quartum affligit.*

5. *Non exquisita verò, & spuria, ex atrabile, per humorum assationem genita, ortum habet: quo fit vt aliarum febrium continuarum, vel intermittentium, maximè vero erraticarum sit soboles. Quando namque in venis efferuescunt humores, in tali feruore, fæx multa residet, ac plurimùm humoris melancholici generatur, & aggregatur, & hinc est, quod post longas febres quartana succedit.*

3. Prog. aph. 24. 6. *Ad erraticas verò febres consequi quartanam, Hipp. in Prognost. testis est, dum inquit: Interpolata febris, eademq; errabunda in Quartanam mutabitur, præcipuè si autumnus proximus est.*

7. *Pura verò ex seipsa, non ex alia febre prægressa originem suam trahit, eosq; inuadit, qui melancholici humoris plurimum coaceruarunt, aut quibus liene imbecilliore exsistente sanguis à sua fœce non rectè expurgatur.*

8. *Hoc verò interdum contingit ob nimiam humoris melancholici abundantiam, quam natiuus calor neq; euincere, neq; expellere potest: tum enim, si moram in corpore trahat, necesse est, vt corrumpatur. Nullus enim alius humor, vt Galenus inquit, qualis ab initio exstitit, permanere potest: nedum qui adeò vitiosus est, vt à natura cultum amplius suscipere non possit; sed aut concoctus assimilatur, atq; apponitur solidis animalis partibus, aut corrumpitur, & putrescit.* Libr. 2. de diff. febr c 5.

9. *Etenim, eodem Galeno authore, natura quinq; de causis aliena excernere nequit: nempe propter excrementorum crassitudinem, multitudinem, lentorem, viarumq; obstructionem, & facultatis expultricis imbecillitatem. Ergo si totum quod deprauatum est, excerni nequit, necesse est, vt si diutius in animalis corpore manet corrumpatur.*

10. *Huius itaq; morbi materiam peculiariter, & velut ex temperamenti natura gignunt, graciles, nigri, glabri, venis angustioribus præditi, lienosi, prætimidi, & pusillanimes, & summatim qui temperamento frigido, & sicco sunt præditi, siue id à natura habeant, siue peruersa victus ratione illud acquisierint.*

11. *Huic humori generando non parum etiam conducit ætas ad declinationem iam vergens: in hac namq; calor fit languidus, & sanguis melancholicus colligitur copiosius, qui densata cute, atq; perspiratione prohibita promptè putrescit: vnde putrefacto sanguine melancholico Quartanæ excitantur.*

12. *Nec parum momenti adfert aëris, & cœli status inæqualis, qualis autumnali tempore contingere solet.*

13. *Non tantùm verò autumni tempore febres quartanæ, atq; erraticæ, lienes magni, verum etiam æstate, maximè extrema huius parte, quæ ad autumnum vergit, eiusq; naturæ proxima est, oriuntur, vt testis est Hipp. Sect. 3. aphor. 21.*

14. *Imò verno tempore quemadmodum melancholiæ, & furores, ita quoq; Quartanæ oriri possunt: potissimum, si hoc temperiem autumno non dissimilem nactum fuerit. Veris namq; caliditate humores in profundo corporis de-*

ris delitescentes, diffunduntur, ac cõmouentur, vnde varij procreantur morbi.

15. *Quemadmodum etiam pueris, fœminis, aliisq́, qui nihil melancholici ostendunt, sed candidi sunt, pituitam vomentes crassam, ac lentam deiicientes, euenire potest. Ex cruditatibus nimirum, quæ lienem imbecillum, tumidumq́ reddere, pituita, & flatibus replere possunt, vnde etiam homo splenicus fit.*

16. Ἐπιτήδευμα] *præterea, & vitæ conditio tristis, melancholica, vehementes cogitationes rerum grauium & tristium mœror, & timor magnus, seu diuturnus, absq́ causa manifesta; vel etiamsi ob causam manifestam inceperit, sed longiùs tamen æquo durauerit, melancholiam indicat, & parit: autore Hippo. Sect. 6. aph. 23. Cui etiam accedunt vehementes atq́ frequentes exercitationes inter animi perturbationes, iram, curas, vigilias, motum, &c. peractæ.*

17. *Nec parum ad humoris melancholici procreationem, & hinc ad Quartanæ generationem faciunt cohibitæ, & omissæ vacuationes consuetæ quælibet, siue arte procuratæ, siue naturales sint, qualis est, quæ fit per hæmorrhoidum venas, alui deiectiones, mensium, sudoris, & similiũ expurgationem.*

18. *Si quid autem humorem melancholicum, ita & Quartanam efficere potest, est vsus multus, & frequens alimentorum, quæ crassos, & melancholicos succos gignunt, quorum plurima à medicis, potißimum à Galeno de alimentorum facultatibus, de attenuante victu, & libr. 3. de loc. affect. enumerantur.*

19. *Quales sunt panis furfuraceus & ater, lentus, carnes caprinæ, bubulæ, magisq́ hircinæ & taurinæ, leporum, limacum, & omnes terrenorum animalium carnes sale conditæ, braßica: & vt summatim dicam, quicunq́ cibi & potiones proportione temperamento frigido, & sicco respondent, febres Quartanas gignere possunt.*

20. *Quemadmodum etiam qui temperamento eodem præditi, apti sunt, vt in Quartanam incidant, nimirum qui gracili, & glabro corpore craßis, terrenis, & omnino fæculentis cibis diutius addicti fuerunt.*

21. *Quod ad impuram Quartanam attinet, etsi humores in corpore etiam aduri poßint, à frequentiore, & immoderato vsu salsorum, piperatorum, & aliorum acrium, vt alliorum, porrorum, cœparum, sinapis, vini meracioris, remediorum calidißimorum, imprudenter administratorum &c. Omnium tamen frequentißima, & maximè efficax causa est febris alia precedens, quæ igneo suo calore humores adassans, quantum per acceßiones non bene expurgatur, in corporibus relinquit, alteri morbo occasionem præbens.*

22. Et licet ex Tertiana impura vbi longior fuerit, & quotidianæ diuturna in Quartanam mutatio fieri possit, longè tamen frequentissima est febrium errabundarum in Quartanam transitus, atque conuersio, potissimum si autumnus proximus est. Humor enim quicunque priorem febrem genuit, nisi integrè vacuetur, exustus, crassiorq; factus, atræ bilis naturam subit, accensusq; subiecta fit Quartanæ materia.

23. Quartana intermittens exquisita his signis internoscitur, si primò inuadat paruo rigore, aut potius horrore, seu frigefactione, qualis hyberno tempore per gelu sentitur, sed quantò magis ad statum accedit, tantò frigus apparet magis constringens quasi carnes, & contundens, vt etiam refrigeratio quædam in ossibus videatur.

24. In ea paullatim humor veluti lapis aliquis aut testa, aut os, aut tale aliquid huiuscemodi corpus frigidum & siccum succenditur: vbi verò aliqua ex eo flamma fuerit accensa, nihil fumosum, aut semiustum in accensione relinquit, sed vniuersum depascitur. Atq; idcirco in hac febre sunt longiores cessationes, quàm in aliis, atq; intermissio exquisitè pura videtur; quoniam hîc quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur, atq; dispergitur.

25. In dorso præterea magnus excitatur dolor, idq; propter materiæ, quæ incenditur, mordacitatem, vnde vapores acres ad dorsum delati, spondylia vellicant. Et hæc in principio ratione motus materiæ eueniunt.

26. Obseruanda quoq; sunt signa, quæ ab operationibus læsis sumuntur. Et quidem, quod ad operationes animales attinet, timidi sunt, tristes, iracundi etiam; non quidem ob cordis calorem, sed quia semper metuunt, ne quid mali ipsis accidat. Idq; efficiunt vapores turbulenti, crassi, & tenebricosi ad cerebrum delati.

27. Procliuiores etiam ad somnum quàm ad vigilias sunt propter pituitam ob frigiditatem in ventriculo exsuperantem: nec tamen quiete dormiũt, quia vnà cum vaporibus pituitosis etiam vapores melancholici in cerebrum efferuntur, qui somnum interturbant. Similiter in motu, non sunt ita immobiles, vt qui Quotidiana, nec ita inquieti, vt qui Tertiana laborant.

28. In actionibus vitalibus: pulsus initio paroxysmi est admodum rarus & tardus, quamdiu scilicet viget horror: in augmento verò, & hoc magis in statu ipso velox est, & frequens, sed tamen perpetuò rarior & tardior, quam in Tertiana. Est hîc tamen insignior, euidentiorq; inæqualitas, quàm in aliis quibuscunq; febribus.

29. Quod ad naturales operationes: qui Quartana laborant ructum acidum

acidum patiuntur: quoniam humor hic, qui in hac febre putrescit, acidus est. Multum comedere appetunt, qui tamen appetitus in progressu cessat, ob copiam humoris pituitosi in ventriculo frigidiore collecti. Sitim magnam non habent, præsertim in initio, sed in augmento, cùm humores iam per adustionem calidiores redditi sunt, etiam illa aduenit.

30. Sumuntur etiam indicia ab excrementis. Qui enim Quartanam patiuntur, pauca excernunt, & aluum habent astrictam: quia bilis non influit in intestina, quæ alias ab ea ad excretionem stimulantur: tum etiam, quia illi pituita abundant, quæ fæcibus adhæret, & veluti limus retinet illas, cuius signum est, quòd cum fæces excernuntur, induratæ sunt, & cum pituita permixtæ.

31. Vrina in principio Quartanæ alba est, & tenuis, quia humor terrestris & fæculentus per meatus vrinarios percolari tam facilè non potest: tum etiam, quia viæ ab eo sunt obstructæ: at reseratis viis, crassiores effluunt.

32. Sudores etiam in Quartana ab initio non, aut certè parcè profluunt, ob humoris nimirum crassitiem, & cutis densitatem: in augmento verò & declinatione sæpè copiosus erumpit: quia humor attenuatus tum est, & viæ relaxatæ. B—

33. Reliqua symptomata sunt, calor non magnus, mordax tamen, & acris, si ad Quotidianam comparetur: si verò ad Tertianam conferatur, nō erit mordax. Vixq; sine lienis tumore, aut alio eius vitio fit. Quòd si per anni tempus autumnale vel aliâs inæqualem aëris constitutionem, Quartana grassetur, & hac plurimi corripi videantur, certius erit indicium in prima accessione, eam fore Quartanam. Quæ si omnia coaceruata fuerint, aut saltem præcipua, tum Quartana exquisita dicetur.

24. Quartanæ porrò omnes, vt longissimæ, ita etiam tutissimæ censentur: longissimæ quidem; quia habent materiam magna ex parte viscidam, & crassam, eamq; simul copiosiorem: tutissimæ verò, quia vehementioribus symptomatis carent, & quia sæpe etiam ab aliis magnis morbis liberant. ἔστι δὲ τὸ νόσημα χρόνιον, θανατῶδες δὲ οὔ.

35. Non tamen omnis Quartana periculo vacat: Senes namq; magna ex parte interficit. Et etiam superueniente hydrope, quod facilè in Quartana contingere potest, si non rectè tractetur, quosuis iugulare potest, præsertim si sit diuturnior.

36. At verò Quartana ipsa per se, & quantum in se est, sine periculo est, & morbos magnos sanat. Nam qui Quartana affligitur febre, non capitur à

tur à morbo comitiali: & hoc malo correptus, Quartana superueniente, subinde liberatur, vt aliquot in locis testatur Hippocrates.

37. Aestiuæ Quartanæ, iuxta Hippocratis sententiam breues iudicantur, autumnales verò longæ, maximè quæ hyemem attingunt. Terminantur tamen sex mensibus, interdum etiam tribus: Si verò sextum vel septimum mensem excesserint, annuæ fieri solent: vltra annum tamen vix prorogantur, nisi errore victus, medentium, aut astantium.

38. Iudicantur autem magna ex parte breues, quòd humor tenuior sit, cutis laxior, & materia facilè discutiatur. Autumnales verò longæ, maximè quæ hyemem attingunt; quòd harum materia crassior, cutis durior, & externum frigus excretionem prohibeat, materiamq; febris intrò repellat. Vnde Cornelius Celsus scitè dixit: Vetus Quartana raro nisi vere soluitur.

39. Non perpetuum tamen est, æstate breues oriri Quartanas, sed tum, quando materia tenuior, sanguis tempestiuè detrahitur, & iusta vitæ ratio obseruatur.

40. Hipp. 6. Ἐπιδ. part. 6. aph. 22. inquit: Quartana ante annum vix desinit. Ergo Quartanæ diuturnæ sunt, quæ vt plurimùm ante integri anni spatium vix desinunt.

41. Auicenna memoriæ scriptum reliquit, Quartanam interdum duodecim annis perdurare, quod fidem non videtur excedere, cum ex recentioribus quidam, in nouem annos productam asseuerent, & alij Mecœnatem quendam tota vita perpetua febre laborasse. Et Antipater Sidonius Poëta apud Plinium omnibus annis, vno die tantùm natali corripiebatur febre, & eo consumtus est satis longa senecta.

42. Et quartanam interdum infantes, ac pueri citra vllum victus rationis errorem à primo ortu contrahunt. Quemadmodum etiam ad Quartanam per adustionem humorum factam, renum calculus succedit. Interdum Quartanam diuturniorem hydrops, & hunc interitus consequitur.

43. Ad Quartanam referunt etiam nonnulli febres longioris ἀπυρεξίας, vt Quintanam, Sextanam, Nonanam, & si quæ fortasse rariores periodos habent: Scribit enim Rhazes, se conspexisse febres, quæ à decimo quinto in decimum quintum, & semel quoq; in mense inuaserint. Harum causam asserunt melancholicum humorem admodum crassum, terrenum, & paucum, qualis ab exusta pituita gignitur.

44. Hipp. lib. 1. Epidem. Sect. 3. quintanæ, septimanæ, & nonanæ febris mentionem facit: & Septimanam longam esse, verùm non lethalem, Nonanam

nanam hac longiorem quoq;, at minimè lethalem, Quintanam verò omnium pessimam esse scribit. Etenim & ante tabem, & iam tabidis superuenientem interimere asserit.

45. Hos febrium circuitus Galenus se vidisse negat, ideoq; Hippocratis ea non esse opinatur, sed aliûs cuiuspiam. Non tamen statim necesse est, vt Galeni fert sententia, si sit Quintana, Sextana, Septimana &c. vt ideò etiam Quintus, Sextus, vel Septimus constituatur in corpore humor, vel alia sedes noua; cùm ab vna eademq; materia cum Quartana fieri poßint: nempe ab humore melancholico admodum crasso, terrestri, & pauco, qualis, vt commemoratum est, ab exusta pituita gignitur: qui scilicet suapte natura cæteris rarius ac tardius accenditur.

46. Et licet Auicenna, Gentilis, & alij Quintanas febres manifestè sese conspexisse referant: reuera tamen hæ, sicut & reliquæ, sunt rarißimæ, & si occurrunt, eandem, quam Quartana, curationem postulant. Eò autem est facilior purgatio, quò plures dies intermittit febris. His namque eò commodiùs ægrotantes purgare, alterare, nec non etiam naturam robustiorem efficere possumus.

47. Intermittens porrò Quartana pura, cum diuturnior sit, liberaliorem, quam intermittens spuria victum expostulat: cumq; per biduum intermittat, quo cibus tutò assumitur, licet ijs diebus apertè calefacientia vsurpare, cum valde humectantibus, qualia humor maleficus requirit: si enim duntaxat calefacias, crassus humor crassescit magis, & absumta tenui portione, illius quasi fæx contumacißima euadit.

48. Hinc immeritò Trallianus Galenum reprehendit, quasi καθόλου abstineat ab ijs, quæ refrigerant, & humectant, cum manifestè lib. 1. ad Glauc. dicat: Arcendi sunt à carnibus porcorum, atq; ab omnibus edulijs, quæ tenacia sunt, & tardum habent exitum, & quæ refrigerant, exsiccantq; corpus. Ergo calefaciendum & humectandum est corpus. Qua itaq; fronte, aut supercilio hoc affingatur Galeno, vt qui non alium victum, quàm qui calefacere, & siccare poßit, præcipiat, non videmus.

49. Cibi igitur conuenientes sunt, quotquot humorem frigidum, crassum, viscidumq; non gignunt, neq; sunt flatulenti. Deligendus itaq; panis purißimus, diligenter subactus, ac probè fermentatus, addito pauco, vel etiam nullo sale: præstiterit anisi, vel fœniculi aliquot grana permiscuisse: à crusta vero, & indurato pane abstinendum.

50. Vescendum etiam carnibus hœdorum, vitulorum, & nonnunquam

agni aut tenuioris veruecis, gallinarum & pullorum earundem, nec non pullorum columbarum, perdicis, phasiani, auicularum nemoralium. Leporum vero, cuniculorumque adultiorum, caprearum, damarum, ceruorum, aprorum, anatum, & aliarum auium carnes, quæ in lacubus paludibusque degunt, vitentur. Sicut damnantur etiam bubula, & suilla, quòd non facilè coquantur, eoque nomine crassiorem humorem gignant.

51. *Ante inuasionem vero, per tres, aut quinque horas, vel finito paroxysmo, cibum capere debent, nisi aliud vires indicent. Quod Actuarius libr. 3. c. 2. Meth. medendi confirmat, inquiens: Cœterum in omnibus accessionum significationibus, ne aliquis in ventriculo sit cibus, qui mali pondus ingeminet, studendum est. Nam cùm natura tempore accessionis ad propellendum ea, quæ affligunt, exsurgat, si quis intempestiuè nutriens illi obstiterit, dubio procul, quò minus valdè noxios humores adoriatur, præpedit.*

52. *Deinde in præbendis escis quatuor requiruntur; primum, vt ea quæ per os assumuntur, cruditatem non adaugeant, sed aufferant: deinde, ne cibi incrassandi, sed potiùs attenuandi vi præditi sint: tùm etiam, ne abstringant, sed magis ventrem emolliant: & denique, vt ita comparati sint, quæ sanguis naturæ gratus, & laudabilis generetur.*

53. *Saxatiles quoque pisces, & quicunque alij, qui sunt friabili carne, concoctu faciles, nihil tenax habentes, conceduntur, æstate potissimùm: quibus addimus cancros, & testudines ritè præparatas. Ouorum recentium, eorundemque tremulorum vitelli inprimis conueniunt. Abstinendum à Brassica, quòd ea humori melancholico nimis faueat.*

54. *Ex fructibus conueniunt poma dulcia, perfectè cocta, & anisi semine conspersa, pruna dulcia, vuæ sine acinis vinaceis, caricæ pingues, dactyli, nuclei pinei, amygdalæ dulces, pistacia. Nuces verò regiæ, & auellanæ suspectæ sunt, & præ cœteris omnibus castaneæ, sicut & τὰ ἀκρόδρυα, Græcis appellata.*

55. *Pro condimentis aromata vsurpentur minus acria, & in minore quantitate cinnamomum, cariophylla, nux myristica, & (qui præcipuè exhilare dicitur) crocus, nisi dolor capitis ægrum diuexet. Galenus recipit salsamentorum, & sinapeos vsum, nec non piperis. Saccharum syræum, & mel omnibus modis prodesse videntur.*

56. *Potus sit vinum album, tenue, nonnihil calidum, non tamen admodum dulce, cum tale non pertranseat. Vel aqua decocta cum aniso, fœniculo, cinnamomo, vel (vt vult Galenus) cum pipere; hac enim quotidie vtendum suadet.*

Som-

57. *Somnus prolixior confert humectando, eaq; ratione plus iuuare potest, quàm refrigerando. Coitus omninò vitandus. Aluus sit perpetuò libera, ac nisi sponte deijciat, vsu olerum, fructuumuè concessorum proliciatur: sin minus infusis clysteribus, qui initio molliores sint, postea verò acriores. Aër sit temperatus. Exercitia vehementia prohibita sunt. παθήματα omnia, præter lætitiam, vitentur, omnium verò maximè tristitia: illa itaq; modis omnibus conciliand a erit.*

58. *Obseruandum verò hoc loco diligenter est, quod Galenus monet, vt ab initio leniter, & blandè Quartanam tractemus, neque fortioribus, vel digerentibus, vel purgantibus pharmacis vtamur: quemadmodum etiam nunquam opiata, nisi corpore probè purgato, & in declinatione exhibenda sunt; ne ex simplici Quartana duplicem, ex duplici triplicem, ac deniq; continuam & lethalem, aut saltem difficiliorem efficiamus.*

59. *Itaq; corpus primò purgandum enemate, vel leui pharmaco ex caßia catholicone, folijs senæ, cum ijs, quæ lienem, & humorem melancholicum respiciunt. Quibus si nihil profecerimus, vtendum clysteribus, ex folijs maluæ, violarum, branca vrsina, borragine, buglossa, quarum decoctioni addimus oleum violarum, flores caßiæ, mel violatum, saccharum rubeum, salis parum, & vitellum oui. Cui interdum aliquid confectionis hamech, vel diasenæ lenitiui adijcimus.*

60. *Purgata prima regione etiam per initia sanguinis mißio, vbi sanguis vehementer abundat, imperatur. Incidenda autem est media, vel basilica sinistri lateris, & pro ætate, atq; virium robore sanguis detrahendus. Quòd si incisa vena sanguis emissus niger conspiciatur, & crassus, copiosior emittendus: sin verò flauus, & tenuis videatur, statim cohibendus est. At si sanguinis abundantioris notæ non apparuerint, phlebotomia administrata plus noxæ quàm emolumenti adfert.*

61. *Si tamen menstruæ purgationes supprimantur, aut hæmorrhoides consuetæ fluere, non fluant, incidenda est saphena pedis sinistri. Alij postea internam, seu mediam eiusdem lateris incidunt. Hirudines etiam venis hæmorrhoidum apponuntur. Siquidem, vt author est Hippoc. Sect. 6. aphor. 11. Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides succedentes, bonum significant, propter humoris nimirum peccantis vacuationem, cum in hæmorrhoidum venas sese lien, si quando humore melancholico aggrauatur, exoneret.*

62. *Deinde concoquitur humor melancholicus Syrupis, de capillo Veneris, de Scolopendrio, de lupulis, de fumo terræ, violaceo, acetoso, de pomis de*

thymo, de epithymo, oxymelle simplici, scyllitico, diuretico, Syrupo Saboris regis, de byzantiis, vel melicratis factis ex absinthio, chamædri, eupatorio, scolopendrio, capparibus: ex radicibus fœniculi, petroselini, rusci, genistæ, fraxini, polypodij, ligno tamarisci, glycirrhyza, & aliis.

63. Aut ex his Syrupos paramus, quibus ferè miscemus passulas, borraginem, buglossam, cuscutam, scariolam, cichoream, quatuor semina communia frigida maiora: semina anisi, fœniculi, carui, portulacæ, coriandri, vel vtimur melle passulato, vel succo pomorum odoriferorum.

64. Vel potum conficimus ex florū borraginis, buglossæ an. manip. semis, bethonicæ, roris marini, stœchados, epithymi, an. pug. vno, scolopendrij, ceterah, fumariæ an. manip. vno semis, melissæ, thymi, foliorū senæ an. manip. semis, arthemisiæ, pulegij, agrimoniæ an. pug. vno. Radicum cichorij, endiuiæ, apij, fœniculi, asparagi, an. drach. 3. Rusci, pæoniæ, anonidos, Eryngij, angelicæ an. drach. 1. semis. radicum buglossæ, borraginis an. vncia semis. sem. anisi, fœniculi, citrij mali an. drach. 1. semis, cinnamomi electi drach. 2. santali flaui drach. 1. ligni aloës scrup. 1. Decoquantur secundum artem ad tertiæ partis consumtionem, vt remaneant libr. 2. Decoctionis R. vnc. 3. & semis, Syrupi de fumo terræ, de epithymo, byzantini, acetosi, de radicibus an. drach. 3. Misce, fiat potus, qui sexies, vel septies, aut potius, si prudens, & obtemperans esset æger, ad decinum quartum, aut decimum quintum haustum vsq; repetatur.

65. Postea purgantia præscribenda sunt, quæ non modo communes materias in ventriculo, intestinis, ac primis venis exsistentes, sed & propriam febris materiam vacuent. In his tamen non obiter considerandum, initio leuiora, & benigniora conuenire: vt sunt electuarium diacatholicon, diesenæ lenit. Rhabarbarum, lapis lazuli sæpius lotus. Quæ dissoluenda sunt, cum decoctione communi flor. & fruct. cordialium, in qua bullierint folia senæ, epithymus, polypodium. & similia. Si tamen perspicua & manifesta concoctionis indicia appareant, fortioribus vti poterimus; vt est helleborismus nonnullorum, qui post potionem pro digestione præscriptam, locum habet.

66. Et recipit decocti priùs descripti vnc. 4. vel 5. rhabarb. optimi drach. 1. & semis, corticum radicum hellebori nigri, purpureum florem ferentis scrup. semis, vini cretici drach. 2. Terito, quæ teri debent, deinde misceto simul omnia, & die ac nocte macerato, demum percolato, & exprimito. Deinde cum hoc diluto dissoluito elect. lenit. drach. 5. confect. hamech. drach. 2. syr. de pomis sabor. regis vnc. 1. Misceto hæc omnia diligentißimè: fiat potus.

67. Vel R. Cort. hellebori nigri drach. 1. (quidam etiam drach. 2. accipiunt

piunt) diacatholicon.vnc.ſemis,rhabarb.electi drach.1. & ſemis, cinnamomi electi, Zingiberis an.ſcrup. ſemis. Quæ ſubtiliter pulueriſentur, & helleborus per noctem infundatur in ſapa. Deinde fiat fortis expreſsio, & omnia diſſoluantur cum decoctione communi;cui addi poteſt mellis roſati colati vnc.ſemis.

68. Catapotia etiam confici poſſunt, ſiquidem æger ijs lubentius vti velit, ex maſſa pilularum indarum,lapide lazuli præparato, & oxymellite contemperato. Aetius vinum dulce in cauitatem colocynthidis infuſum laudat,ſic tamen,vt illi admiſceatur aliquid apij aut dauci, iucunditatis gratia.

69. Cum autem quartana diuturnus morbus ſit, ideo rectè præcipitur in ea paulatim concoquendum, paulatimq; vacuandum eſſe, ſemel enim atra bilis educi non poteſt;quando tam vehemens medicamentum,quod vniuerſum hunc humorem, ad trahendum contumacem, vna vice purget, corpus ſuſtinere non queat. Semper verò purgatio molienda eſt, die paroxyſmum antecedente.

70. Intermedio vero tempore, cùm febris non affligit, corpus roborandum electuarijs,confectionibus cordialibus. Cuſtodiendi quoq; in ſua temperatura ſunt ſtomachus, cor, hepar, & potiſsimum lien, ne in eis apoſtema, aut ſcirrhus, aut ſimile quid generetur, aut temperies eorum corrumpatur. Nam humor melancholicus omnia membra principalia lædere ſolet. Diligens igitur horum habenda ratio.

71. Vnde ſtomachus inungendus eſt oleis maſtichino,de mentha,de ſpica, de nuce moſchata,quibus addenda caryophylla,macis,cinnamomum, lignum aloës,coralli rubei,gallia moſchata,&c. Ex quibus,aut ſimilibus cum cera fiat inunctio mollis,quæ calida adhibenda erit.Quod ſi frigiditas ventriculi adfuerit,confortandus eſt,confectione quapiam,ex ſucco abſinthij, menthæ, ſpeciebus aromatici roſati Gabrielis, diagalanga, diaxyloaloës, ſaccharo albiſsimo, in aqua abſinthij diſſoluto, ex quibus confectio in rotulis fieri poterit.

72. Similiter & cordi proſpiciendum erit; & primum quidem electuario ex quatuor conſeruis cordialibus, elect. de gemmis, diamoſchu dulci, diarhod. abbat. ex quibus cum ſyr. de pomis paratur electuarium. Simili ratione ipſi etiam epithema ex aquis roſarum,borraginis, bugloſſæ, meliſſæ, ſpeciebus iam dictis, & alijs admoueri poterit.

73. Lieni vero præ cæteris prouidendum erit,fomentis, & inunctionibus. Paretur ergo fomentum ex radicibus altheæ,ſemine lini,ſcolopendrio,chamæmelo, corticibus radicum capparum, tamariſci,fraxini,ſeminibus portulacæ, agni caſti,&c.ex quibus decoctis fomentetur ſpongijs lien. Poſtea vero ante cibum inungatur calidè vnguento ex oleis de capparibus, amygdalarum dul-

 cium,

tium, de ſpica, ſucco cyclamini, brioniæ, ammoniaco in aceto diſſoluto, ligno tamariſci, ſcolopendrij, ſemine plantaginis, agni caſti, &c. cum cera facto.

74. *Hepar etiam roborandum rotulis, obſtructiones reſerantibus, quæ recipiunt hepar lupinum præparatum, ſpecies diarhod. abbat. rhabarbarum elect. ex quibus cum ſaccharo in aqua abſinthij diſſoluto fiat confectio in rotulis. Deinde oleo de ſpica, vnguento ſantalino inter ſe mixtis, inungendum. Vel etiam illi imponitur emplaſtrum de meliloto, aut cruſtulum lapidis molaris, vel marchaſitæ calefactum irroratur aceto, & iecinori applicatur.*

1 75. *Vomitus initio paroxyſmi vnicè commendatur. Galenus etiam à cibo frequenter vomere ſuadet, quod certè vtiliſsimum erit, ſi paulò ante acceſſionem fiat. Et ſi nihil prohibuerit, helleborum album dare oportet: primùm quidem permiſtum radicibus; quòd ſi nihil fecerit, helleborum ipſum, vomiturus autem ſeſe plurimo ingurgitet, & vario cibo, inprimiſq; oleoſo, & pingui, aut alio, qui nauſeam excitare valeat.*

76. *Et hæc quidem extra paroxyſmum ſunt obſeruanda, verùm cùm horror in hac febre moleſtiſsimus ſit, negligi etiam non debet. Itaq; ſi non cedat facilè pluribus integumentis, & lateribus calidis ad pedum plantas appoſitis, licebit deinceps, paulò antè acceſsionem, vel dum oſcitationes, & pandiculationes fiunt, dorſi ſpinam inungere oleis, chamæmelino, anethino, cheirino, irino, rutaceo, coſtino, laurino, nardino, de piperibus, aut de caſtorio, prout leuior, inſigniorue fuerit horror.*

77. *In declinatione, & ſufficienter factis euacuationibus conceditur theriaca, mithridatium, confectio alkermes, & ſimiles antidoti, quarum vi reliquiæ morbi abſumantur, & viſcera corroborentur. Verùm iſta ſiccandi vi pollentia, humectantibus corrigi debent, iiſq; vel ſimul, vel paulò pòſt aſſumtis. Quoniam aridius euaſit corpus à febrili calore, eiuſque diuturnitate, itaque deinceps humectandum.*

78. *Quare perperam etiam in antidotis exhibendis Alexander Galenum reprehendit, vt qui nulla diſtinctione vſus, antidotum ex liquore cyrenaico omnibus exhibeat: cùm tamen Galenus facili, & expedita diſtinctione vtatur, non ab initio hæc antidota, aut omnino ante ſtatum exhibenda, ſed, vt commemoratum eſt, in declinatione, & poſt valentem purgationem.*

79. *Concedunt nonnulli in ſtatu balneum, ad largiorem humectationem, quia materia, quæ hanc febrim fouet, maximè peccat ſiccitate. Galenus tamen, etſi Quartanarios à frictionibus, ambulationibus, & balneis non penitus prohibeat, ſubiungit tamen, ſi omnino poſſent à balneis abſtinere, ſolis contenti frictionibus, quamplurimum ex eo iuuamen admitterent.*

80. *Ad sitim, quando maximè vrgebit, & iam aderit paroxysmi status, concedetur potio ex syrupo de buglossa, violato, capillorum Veneris, aut alio simili. Vinum enim in paroxysmo vix tutò præbetur, quia febrilem calorem auget. Concedi tamen potest ijs, qui illud auidiùs expetunt, & non promtè sudant; verum ὀλιγοφόρον, & modicè dilutum.*

81. *Pharmaca à proprietate conferentia, vt sunt Catapotia ex telis aranearum, puluis cancrorum, radices plantaginis, trifolium, vermiculi in dipsaci capitulo inuenti, hypericum, buglossa, pentaphyllon, gentiana, carduus benedictus, & si quæ similia reperiuntur, in medio relinquimus. Hæc enim de Quartana febre dicta sufficiuut.*

FINIS.

